



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

17. De causis excidij obseruantiaë Regularis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

nisi vt ouis morbida abijciatur, & membrum putridum præscindatur, ne sana inde inficiantur & corrumpantur Matthæi 6. Omnis arbor quæ non fructum bonum excindetur. ad Gal. 5. Vltimam abscindatur, qui vos conturbat Corinthi 6. Aufer- te malum ex vobismetipsis. Numerorum 5. c. Præ- cipe filijs Israel vt eijciant è castris omnem le- profum, & qui semine fluit pollutusque est su- per mortuo, ne contaminent ea, cū habitauerint vobiscum. Ad ista tamen non debet impetu fer- ri, sed maturo consilio prudentum & spiritum Dei & donum consilij habentium. Omnia cum consilio fac & post factum non pœnitebis, Mat- thæi 18. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis il- lis, qui in me credunt, expedit illi vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur, in pro- fundum maris, hoc est cuius vita in habitu reli- gionis magis scandalizat simplices quam ædifi- cet, expedit vt foris missus solus damnetur quam vt per eum sacra religio contaminetur.

CAPVT XVII.

Ex Roseto Spiritualium exercitiorum Abbatis Ioan- nis Monburni in Eruditorio exercitiorum Ti- tulo 2. Alphabeto 8. §. 5. De causis excidij obseruantie re- gularis.

TRithemius Abbas Spanheimensis duodecim tales causas attingit quas sequentibus versi- bus memoriæ causa breuiter comprehendit Ab- bas Monburnus, qui sic sonant. Hæ tibi collapsæ
sint

sint causæ religionis Suscipis, instituis, prope,
 mens, studiumque vagaris: Præsul, opes, simulans
 non visans, tempora tendis. Prima causa indi-
 screta susceptio personarum inutilium. Secun-
 da indebita & negligens primaria institutio no-
 uiciorum susceptorum. Tertia est puerorum de
 proximo seu è vicino susceptio personarum.
 Quarta est non recta ordinem ingredientium in-
 tentio. Quinta est studij regularis & deuotionis
 omissio. Sexta est religiosorum frequens è mo-
 nasterio euagatio. Septima est Prælatorum inu-
 tilium promotio. Octaua nimia cupiditas &
 sollicitudo diuitiarum. Nona debite correctio-
 nis omissio & dissimulatio erratorum. Decima
 negligens & inconsulta visitatio religiosorum.
 Undecima malicia horum posteriorum tempo-
 rum & dierum malorum. Duodecima nimia ex-
 tensio reformationis & Capitulorum. Ex his
 duodecim causis quædam fuerunt apud omnes
 excidij rationes generales. quædam verò earum
 in singulis ordinibus fuerunt ruinæ causæ singu-
 lares. Generales enim causæ fuerunt, & præci-
 pua malicia & negligentia prælatorum. Omis-
 sio & interruptio Visitationum Incuria mini-
 morum cum mala intentione iuuenum, per quas
 quatuor communissimas causas tanta ruina con-
 tigit sub statu omnis religionis. De primo inue-
 ni quod omnis iniquitas egressa est à senioribus
 & quod iuxta Oseæ verbū speculator Ephraim
 laqueus factus sit ruinæ. itaque misera Prælato-
 rum conuersatio, subditorum miserabilis sub-
 uersio

uersio fuit & totius dissolutionis vel maxima occasio, sic quod omnis culpa subiectorum ex vitio & negligentia prælatorum fuit suborta, quemadmodum radix putrida causa est demarcescentis arboris, & ex vitio capitis aut morbo cordis totius fit languor corporis. In eam sententiam descendit pulchrè D. Bernardus dum ait. Mala vita & negligentia Prælatorum mater & occasio est omnis insolentiæ & deformationis religiosorum.

Plurimum enim nocet iniqua potestas, aded quod caput impij quoque subiectos suæ impietati conformat, vt de Israelitico populo videre est, pro capite præfidentium vel bono, vel malo, & de turbata Hierosolyma Herode turbato. Quare & in Numerorum libro peccantis populi culpa in principes detorquetur, quos dominus iussit contra solem in patibulis suspendi, quasi de illorum negligentia vel culpa obuenerint omnia subditorum errata. De altera quoque causa manifestè patet quod ex eo, sicuti iura & statuta habent, quod visitationes nec studiosè fiunt, nec bene obseruantur, maxima prouenit dissipatio religionis.

Si enim in singulis domibus per singulos annos in Visitatione excessus tam in capitibus quam in membris ritè corrigerentur, non tanti defectus aut scandala aut dissolutiones suborirentur. Impunitas namque excessuum incentiuum, præstat & audaciam vitiorum. Patet illud in sacra religione Carthusiensium, quæ maximè stetit inue-

inue-

inuenitur præter cæteras religiones, ob strenuam obseruantiam Visitationum cum alijs iuxta illud Per tria Si; So. Vi: Carthusia permanet in vi id est per silentium, sollicitudinem, Visitationem. Præterea incuria minimorum occasione præbet grauiorum, sic vt verum sit sapientis verbum, Qui minima negligit paulatim decedit. Sæpe neglecta sentina fit nauis iactura, & obruitur arena, quæ vitauit grandia; Dicere in religione parua sunt, hæc non sunt curanda, non paruum hoc iuxta Bernardum delictum, sed peccatum ingens culpa non parua. Hoc etenim verbum contemptum sapit. impenitentiam redolet: blasphemia irremissibilis peccatum in spiritum sanctum esse videtur. Porrò de mala & neglecta institutione inuenum patet ad oculum, quod potissima sit causa subuersionis religionum. Puer siquidem, ait sapiens, qui dimittitur voluntati suæ puerili seu lasciuia, sine strenua institutione confundit matrem suam, id est, sacram religionem. At strenuū magisterium facit bonum religiosum: Hæc sunt igitur generales cause euerfionis religionum cum temporum concurrente malitia.

CAPVT XVIII.

De causis specialibus & singularibus & lapsus ordinum §. 6.

Primò occurrit celeberrimus ille Ordo Canonicus non infima portio Ecclesiæ sacrae, quippe qui (vt pace dixerim ordinum reliquorum) ordinibus omnibus & tempore & dignitate prior:
ex